

quos veterum religionem deserturos quis credat ? Qui si alienatum ab iis Pontificem ; Hispanis , cum quibus continentes inimicitias gerunt , conjunctum persenserint , verendum sit , ne , exulceratis animis , desperatione ducti , eidem religioni magno detrimento esse possint . Hæc in Xysto non modo ambiguitatem alebant , sed duriores illum nonnunquam in legatos reddebant . Cur foederi non subscriberet , multa causatus , quæ a Rege de singulis conditionibus mandata habeant , inspicere primum se velle , inquit . Legati Regis literas ostendunt , quibus maximam in foederatorum causa sustinenda constantiam præseferbat . Rationes suasionesque addunt ; adjiciunt , Regem , Armoricam provinciam agnationis jure ad filiam spectantem , prævalida in id classe instructa , adoriri statuisse : Catholico Rege in Gallia creato , dotis nomine nata desponsa , tributurum : Navarræos vero Borboniosque regni ob religionem minime capaces , quantum vi atque armis posset , insequuturum . Verum ut foederi subscriberet , non suasionibus , non prece , non rationibus Xystus adducebatur ; atque ut cunctationi causas prætexeret , vel quod ita existimaret , examinandum Purpuratis proponit : an , nemine regii sanguinis existente , jure regis electio ad Romanum Pontificem pertineat . Sacratissimis viris , Principibus , nobilitati , civitatibus scribere statuit : Regem catholica religione imbutum eligant ; ni id efficiant , se electurum : haud exigua spe sublatum , voti compotem fieri , absque Hispanico foedere , se posse . Eodem tempore Messius orator prosperos Regis successus Senatui nuntiat , propensum in religionem Pontificemque illius animum significat : vel ex Pontificis dexteritate & clementia Galliæ tranquillitatem pacemque oborituram , vel , si armis agendum sit , cuncta humana Divinaque permixtum iri : Senatum rogare , quo statu res Galliæ sint , Pontificem edoceat ; suadeat , parentis affectu Christianissimum regnum complectatur .

Inter hæc Xystus ab Hispanis impetitus , ingentique curarum æstu fluctuans , levi correptus morbo , qui sensim nimio ætatis et rure invaluit , gravissimo pontificatus onere pressus , sexto kal. septembris excessit ; quo tempore Rex Lutetiam circumsidebat , Parmensisque e Belgio in Galliam sese intulerat . Magno plerique mœrore ejus obitu affecti , quod eo potissimum tempore

1590

*Xysti
Pontificis
ad Galliæ
proceres li-
tera de Ca-
tholico Re-
ge eligendo*

*Xysti
Pontif.
obitus .*